DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
MORBO SCROPHULOSO

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN

CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Franciscus Klein,

Hungarus Jàszò-ensis.

Medico chirurgus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Academiae Josephinae die Mensis Martii 1836.

Vindobonae,

Typis Francisci Ludwig.

SPECTABILI AC DOCTISSIMO

DOMINO

AMICORUM DILECTISSIMO

FRANCISCO WEBER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI
OBSTETRICES ET OPHTHALMIATRICES MAGISTRO
INCLYTAE LEGIONIS PEDESTRIS
ARCHI-DUCIS LUDOVICI Nro VIII
MEDICO CASTRENSI SUPERIORI

HOC

SPECIMEN INAUGURALE

UT

PUBLICUM AMICITIAE
MONUMENTUM

offert

Auctor.

Proemium.

Non possum non confiteri, in dissertatione hac inaugurali me nihil novi dicturum, et me solummodo sententias de morbo scrophuloso plurium, egregiorum auctorum hicce compilasse, ideo si quid boni in pagellis his, L. B. invenies, id non meum est, si quid autem ut mancum, nec sat bene ordinatum castigare libuerit, considera quaeso, vires, tempus et experientiam tironem literarium defecisse.

Caput I.

Definitio.

Quum de causa proxima morbi scrophulosi ideae pleriquorum Pathologorum discrepent, hinc ardua est definitio morbi huius menti omnium satisfaciens, sequentem attamen quam maxime congruam esse opinor: morbus scrophulosus est morbus vegetationis anomalae, radicans in systhemate lymphatico, se prodiens per intumescentias glandularum lymphaticarum, se-et excretiones alteratas, et abnormem nutritionem. — Definitio haec in morbi Diagnosi uberius dilucidabitur.

Caput II.

Diagnosis.

Morbus scrophulosus in genere aetati infantili proprius est, ast ob diversa symptomata quae in variis evolutionis suae periodis praesefert, imago eius in plerisque auctoribus dissimilis invenitur, et quamvis dispositio scrophulosa, ab ipso morbo in prima evolutionis periodo difficulter dignosci queat, nihilominus ad claram morbi imaginem depingendam, distincte contemplanda erit dispositio scrophulosa ab ipso morbo evoluto.

A. Dispositio scrophulosa, (rectius morbus scrophulosus occultus) a pluribus auctoribus ut primum morbi stadium contemplatur, totum morbi decursum in tria subdividentes stadia. Dispositio haec e sequentibus apparitionibus cognoscitur:

I. Ex causis genesi morbi scrophulosi faventibus, quo plures enim harum in individuum quoddam egere, eo major adest probabilitas eidem inesse dispositionem scrophulosam. Causae hae paululum infra adducentur.

II. Ex habitu externo, qui hisce insignis est, nimirum: caput respectu reliqui corporis magis evolutum, adest praecipue majus occiput, coma flava, occuli caerulei, splendentes, pupilla dilatata, genae colore amoene rubro, circumscripte tinctaenasus in apice globosus, labium imprimis superius tumidum, maxillae largiores et fortiores, collum breve et crassum, abdomen magnum tumidum, sed necdum durum, cutis tenera, corpus integrum paret esse bene nutritum, sub accuratiori tamen investigatione pastuosum et spongiosum.

III. Ex anomaliis in evolutione, quarumdam enim functionum evolutio acceleratur, aliarum retardatur, sic remoram patitur evolutio dentium, ossium et musculorum, hinc infantes scrophulosi tarde incedunt; praecipitatur ex adverso evolutio facultatum psychicarum, et virium sexualium.

IV. Ex variis symptomatibus valetudinis quidpiam imbecillioris, uti: frequens gravedo, corriza, et epystaxis, catarrhus cum majori muci secretione saepius incedens, aphthae, excoriationes, et impetigines formae indeterminatae, saepius occurrentes,

quae omnia remediis solitis non facile cedunt, oedematosa artuum intumescentia, in qua pressione digiti non relinquitur foveola.

V. Ex digestione crebrius laesa apparens ut colluvies acida primarum viarum, aut voracitas insolita, praecipue ut magna concupiscentia ciborum farinaceorum, alvus iam pertinaciter obstipa, iam diarrhoica, alvi excretiones nunc mucosae, nunc virides aut atrae, vermes et flatus saepius secedentes, nec non dolores cholici frequentiores.

VI. Huc denique referuntur febres diversae, quae iam splanchnicarum, iam mucosarum, iam gastricarum imo lentarum febrium nomine veniunt, prodromos morbi scrophulosi saepissime sistentes, singulare hisce est, eas frequentius occurrere primo et secundo aetatis anno, esse decursus anomali et diversae durationis. Febres istae magnas plerumque habent intermissiones, per plures saepe decurrunt hebdomadas, in exacerbationibus frigori intensiori non correspondet calor modicus, facile gignitur in eis colluvies acida primarum viarum. aut colluvies mucosa, et abdomen intumescit, remedia per alvum evacuantia producunt quidem in febribus similibus levamen, sed non sanationem radicalem, et melius conducunt medicamenta, quae in genere nomine antiscrophulosorum insigniuntur.

B. Morbus scrophulosus evolutus (celeberrimi Domini Professoris Bischoff secundum et tertium scrophularum stadium) diversissima obfert phoenomena, ita ut vix detur forma morbi, quam crudelis hic cetatis iuvenilis inimicus praeseferre non valeat. In genere intumescentia glandularum lym-

phaticarum primum et principale sistit symptoma morbi scrophulosi. Intumescunt primo glandulae lymphaticae superficiales colli, cervicis, axillarum et, inquinorum, tumor hic in principio est mollis, globosus rarius oblongus, mobilis, saepe ingens nanciscitur volumen, tardius induratione plurium glandularum et earumdem concretione, superficiem refert inaequalem, tumulosam, duram, et saepe tanta apparet in eo fluctuatio, ut fluido quodam repletus esse videatur. Intumescentia haec glandularum propagatur sacudum decursum vasorum lymphaticorum. In interstitiis tumidarum glandularum saepe secernitur fluidum quoddam lymphaticum, saepe destructionem cutis tumorem tegentis in minori plaga supperationis ope causans. Scrophula quaelibet cistidi propriae inclusa est, donec morbo ulterius decurrente, textus cellulosus convolutum glandularum tumidarum ambiens induratur, cistidem communem format, et tumorem hunc immobilem reddit.

Scrophulae donec sunt mobiles nullum causant dolorem, quam primum vero crescendo cum partibus vicinis coalescunt, ob inflammationem chronicam in eis vigentem, dolores causant tensivos, pungentes et pulsantes, indurantur post hoc tales glandulae, cutis illas tegens induit colorem livide rubrum, pulsus insimul quidpiam acceleratus, et urina parca, profunde rubra statum febrilem indicant. Menses et anni saepe requiruntur, quoad-usque scrophulae ad statum hunc perducuntur.

Inflammatio haec successive solummodo, sed inommisse quasi in suppurationem progreditur. Su-

perficies rubra pallescit, mollescit tumor, et dolores remittunt, tarde tantum prorumpit pus tenax, flavescens, saepe tamen aquosa sanies, viridis aut atra profunditur. Circa vesperam semper adest febris supporatoria. Ulcus hoc modo natum superficiem obfert lividam, aut coloris rubro caerulei, inaequalem, cum excrescentiis hinc inde fungosis, saepe in illa apparent striae lymphae consistentis, et hinc ulceris eiusmodi superficies praebet colorem caseosum, si non adsunt excrescentiae fungosae ulcus cavum esse videtur. Margines sat duri sunt rubri, dentati, laxi, et cavi. Ulcera scrophulosa facile plorant sanquinem, facile fiunt sinuosa, difficulter formant cicatricem, quae semper inaequalis et dura est, et primo vere saepe apperitur.

Scrophulae eiusmodi in integra superficie corporis apparene valent. In interioribus praeprimis glandulae mesenterii scrophulis afficiuntur. Signa passionis huius sunt; concupiscentia ciborum, et alvi excretiones inordinatae, adaugetur sensim abdominis volumen, fit durius, et attactu nodosum, secedunt flatus frequentes, et urina turbida, tardius adest nausea immo vomitus perfrequens, et magna virium delassatio. Praesentibus scrophulis in hepate, feces secernuntur griseae, evolitur icterus, et adest dolor in hypohondrio dextro; scrophulae pancreatis dolorem causant in profundo inter scrobiculum cordis et umbilicum radicantem, dolores cholicos diuturnos, saepe vomitum habitualem materiae cuiusdam tenacis, saepe sanquineae, praeprimis apparet vomitus hic ventriculo ieiuno; scrophulae renum dolorem causant obtusum, prementem in regione lum-

bali, ischuriam periodicam, secessum urinae pure aut sanquine mixtae; scrophulae intestinorum causant dolores obtusos per integrum abdomen propagatos, cum pertinaci saepe vomitu, passione hac adeo prosternitur opus nutritionis, ut plerumque summa ematiatio, et tabes subsequatur. Scrophulae in plumonibus forma phthisis tuberculosae in conspectum veniunt, quae pubertate assecuta in phthisim purulentam transit. Probabile est scrophulas in cerebro pertinaces dolores capitis, Epylepsiam, Melancholiam, Apoplexiam. Hydrocephalum internum et externum causare. Sectio cadaverum in plexu choroideo scrophulas demonstravit.

Praeter formas enumeratas morbus scrophulosus evolutus apparet forma tineae capitis, Blepharospasmi, Blepharophthalmiae, Coniunctivitidis, Ceratitidis, Panni, Blennorrhoeae sacci lacrimalis, crustae lacteae, inflammationis alarum nasi, cum excoriationibus earumdem et labiorum; saepe oriuntur inflammationes glandularum meatus auditorii, et profluvia saniosa ex eodem.

Accedunt ut symptomata scrophulosi morbi, impetigines formae diversissimae, ulcera in diversis partibus, tumores lymphatici, blennorrhoeae, polypi, inflammationes articulorum, et ossium praecipue spongiosorum, in sequelam harum tophi, caries, spina ventosa. In vervis paralyses. (Scrophularum forsitan sequela saepe sunt fungus haematodes et medullaris) Tandem hydrops, tabes, atrophia, phthisis et tebris hectica scenam claudunt.

Caput III.

De causis morbi scrophulosi.

Causae hae subdividuntur in praedisponentes et excitantes, illae sunt respectu aetatis; infantia, hanc enim experientia docet ad scrophulas maxime dispositam esse, quoad sexum vero, sexus sequior huic enim sexui et aetati major convenit laxitatis gradus.

Constitutio et habitus parentum quam plurimum conferunt ad habitum et constitutionem prolium eorumdem, id valet et de scrophulis, parentum enim scrophulosorum, liberi scrophulosam adipiscuntur dispositionem, imo saepe cum morbo evoluto nascuntur. Testimonio sunt infantes exulcerationibus, fluxu aurium, impetiginibus, intumescentia glandularum, spina bifida, induratione glandularum mesaraicarum, a scrophulosis parentibus nati. Sed et nullus dubitabit scrophulas esse morbum hereditarium, qui perpenderit, eas esse morbum constitutionis, tam materiae quam virium, eiusmodi autem morbos generatione propagari posse.

Multum confert ad dispositionem scrophulosam in infantibus evolvendam debilitas parentum, praecipue defectus energiae sufficientis virium sexualium, hinc filii parentum Venere aut onania abutentium, sic et patrum nimis provectae aetatis, creberrime dispositione scrophulosa praediti sunt.

Nutrimenta cruda et indigestibilia in prima aetatis infantilis periodo, multum conferunt ad dispositionem scrophulosam evolvendam, nutrimenta et

enim eiusmodi difficulter assimilantur, et in succum et sanquinem convertuntur, et in humoribus semper crudi quidpiam et heterogeni remittunt. — Natura enim lac matris pro primo nutrimento infantibus determinavit, lac hoc nunquam supplebunt alia nutrimenta, scopus enim naturae, quem lactatione assequi studet, est, ut infans qui tamdiu pars erat corporis matris, per aliquod adhuc tempus cum illa in comercio animali persistat, et eidem chylum subministret qui praemissa mixtione cum sanquine matris, in corpore materno illum iam vitalitatis gradum nactus est, quem eidem debilis infantilis organisatio largiendo impar est. Haec ex diversa qualitate lactis in variis lactationis periodis evinci possunt. Non supplebitur lac humanum lacte aliorum animalium, haec etenim vegetabilibus solum vescuntur, ideo necesse est ut lac eorum alius sit qualitatis. Ipse actus lactationis multum confert ad faciliorem digestionem, hoc modo lac saliva misatur, et digestu facilius reditur, emolumentum hoc perditur lac e cochleare aut lagenula bibendo. Huc accedit temperatura diversa lactis animalis substituti.

Pejus adhuc lacte vaccae conducunt infantibus nutrimenta diversa non fermentata, e farina, solano tuberoso aut aliis cerealibus forma pultis cocta. Omnis enim farina non fermentata producit chylum tenacem, mucosum, difficulter per tenera vasa lactifera meabilem, et sic facile gignuntur stagnationes. Inaepta est praeterea nimia copia nutrimentorum et consvetudo matrum infantes eorumdem primis etatis annis cibis multifariis asvefaciendi.

Ad excolendam dispositionem scrophulosam cer-

te multum etiam confert: Usus theae chinensis et potusarabici primis aetatis infantilis annis, abusus purgantium, emeticorum et roborantium, his enim infringitur tonus canalis alimentaris, et sic chylus ineptus paratur. Porro:

Colluvies acida primarum viarum. Hac vigente non recte contingit assimilatio chyli, chylus ipse particeps fit acidi huius, quo vasa lymphatica irritantur, spastice contrahuntur et obturantur.

Vermes in canali intestinali dupplici modo ad scrophularum genesim conducunt, tam propter acidam et mucosam chyli qualitatem quae per vermes sustinetur, tam propter spasmos in systhemate organorum digestionis, quos saepissime vermes producunt.

Vita sedentaria et defectus motus muscularis. Haec est una ex principalibus causis morbi scrophulosi pleriquorum infantum. Nisus enim inest infantibus in continuum motum muscularem, quo deficiente inhibetur circulatio humorum, et stagnationes nascuntur.

Immunditíes et negligentia culturae cutis externae. Cute et vestimentis immundis inhibetur transpiratio cutis, et resorbtio ex aëre atmospherico, imo diversa ex corpore ope cutis eliminata et inepta, ope vasorum lymphaticorum cutis rursus resorbentur, in lympham transferuntur, et ad improbam eius mixtionem conducunt. Debilitatur praeterea immunditie tonus et infringitur vitalitas cutis, quae debilitas integro corpori praecipue vasis lymphaticis communicatur.

Prava conditio aëris atmospherici. Aër humi-

dus, et humide frigidus, nimium mutabilis, aut inclusus et quasi iam animalisatus ut plurimum scrophularum causa est. Hinc prae caeteris regnare videmus morbum scrophulosum ad littora maris, in vallibus angustis, et domiciliis pauperum hominibus nimium repletis.

Lecti nimium calidi, et domicilia iusto calidiora infringunt etiam ob sudores continuos tonum cutis, et ansam praebent evolutionis dispositionis scrophulosae.

Praematura nimia exercitatione facultatum animae dispositio scrophulosa evolvi valet. Aetas enim infantilis destinata est evolutioni corporis, necesse enim est ut corpus robur certum nanciscatur, antequam animae facultates intenduntur, ordine hoc inverso evolutioni corporis necessaria vis vitalis subtrahitur, et praecipue vis systhematis lymphatici evolutione hac occupati infringitur, turbantur omnes se - et excretiones, et lympha corrumpitur. Multum praematuram hanc intentionem facultatum psychicarum ad genesim scrophularum conferre, iam inde patet, quod praematura harum facultatum evolutio, inter symptomata characteristica morbi scrophulosi a plerisque referatur auctoribus.

Inter causas denique praedisponentes referuntur adhuc onania, animi pathemata, uti tristitia, timor, invidia, et tandem abusus narcoticorum in infantibus teneris.

Omnes hae causae, si vel plures conspirant in individuo quodam, aut si sat diuturne agunt, iam pro se evolvere valent morbum scrophulosum, et sic quodammodo etiam ad causas excitantes perti-

nent, quamvis in genere solummodo dispositionem scrophulosam excolant. Ad causas excitantes praeterea pertinent: progrediens evolutio corporis infantilis hoc enim opere praeprimis vasorum lymphaticorum intenditur actio, dantur autem certae periodi in quibus evolutio haec majorem nanciscitur impulsum, et systhema lymphaticum et glandularum magis concitatur, uti id patet ex sic dictis cereolis qui in periodo simili gignuntur. Cereoli hi formantur etiam in individuis absque dispositione scrophulosa, sed periodo tali evolutiones praeterlapsa disparent, praesente vero dispositione scrophulosa cereoli hi fiunt maiores, inflammantur et in veras scrophulas transmutantur, et sic progrediens evolutio corporis infantilis, gliscens scrophularum germen resuscitare valet. Hinc saepe versus sextum aut septimum aetatis annum scrophulas prorumpere videmus, hoc enim tempore corpus alacrius incrementum capit, id saepe iam contingit in periodo, dentitionis, aut tardius tempore pubertatis.

Quoad anni tempora, praecipue tempus vernale excitare valet scrophulas. Prouti enim tempore vernali magis intenditur vita nervorum et vasorum sanquiferorum, sic etiam ad alacriorem actionem concitatur systhema lymphaticum et glandularum, et sic vigente in eis dispositione scrophulosa haec in morbum ipsum excolitur. Experientia etiam docet erruptionem scrophularum tempore verno potissimum contingere.

Valent etiam excitare scrophulas diversae laesiones mechanicae, uti contusiones, vulnera, combustiones, ect, porro crises suppressae, et affectio-

nes diversae morbosae, praecipue quae systhema lymphaticum, et organa digestionis immediate afficiunt, e. g, febres gastricae, et intermittentes, imprimis si in his crises contingunt imperfectae, aut metastases ad glandulas, exanthemata praeterea quaedam uti variolae ct morbilli, quae facile metastases formant in glandulas, nec non lues venerea, saepe resuscitant scrophulas.

Causae enumeratae in genere remotarum nomine veniunt, causa vero proxima morbi scrophulosi, consistit in attonia et magna debilitate systhematis lymphatici cum morbose et specifice adaucta irritabilitate eiusdem et genesi lymphae specifica acrimonia praeditae. Magnam adesse debilitatem et attoniam in systhemate lymphatico vigente morbo scrophuloso e sequentibus patet: Scrophulae per parentes nimium debilitatos ad filios eorumdem transplantantur, eidem aetati et sexui sunt propriae, quae laxitate prae caeteris excellunt, potissimum generantur per momenta debilitantia, habitus scrophulosus laxitatem ut symptoma characteristicum praesefert. Laxitatem et attoniam hanc comprobat etiam effectus medicamentorum, videmus enim remedia roborantia, et diaetam roborantem in scrophulis quam optime conducere.

Morbose et specifice adauctam irritabilitatem in systhemate lymphatico adesse, sequeutia probant: causae scrophulas excitantes plurimae ut irritamenta agunt, adaugent et modificant phoenomena irritabilitatis, hac ratione actionem suam exerunt diversa irritamenta, ut laesiones mechanicae, refrigerium, combustiones, ect. Irritamenta mecha-

nica si in systhema lymphaticum agunt, producere valent phoenomena morbosa scrophulis analoga, e. g. vaccinatio miasmatum, dein per remedia irritabilitatem imminuentia multa scrophularum symptomata tolli possunt, quamvis hisce non subferratur dispositio scrophulosa. Denique plurima symptomata scrophularum ut sequelae adauctae irritabilitatis systhematis lymphatici interpretari possunt.

Generari in scrophulis lympham acrimonia specifica praeditam, sequentibus evincere conabor: Causae etenim evolutioni morbi scrophulosi faventes, omnes ad ineptam lymphae elaborationem contribuunt, hoc modo agunt nutrimenta inepta, et aër atmosphericus pravae qualitatis, immundities, ect, his fit ut lympha vel mucosam, vel viscidam, vel nimium aquosam nanciscatur conditionem, et sic magna gignatur laxitas, et torpor, ope horum autem stagnationes, quae oriri possunt etiam ex praevalentihus in lympha partibus constituentibus salinis, vel alcalinis, vel phlogisticis, talis enim prava lymphae mixtio causa est se- et excretionum ineptarum, circulationis turbatae, sic ergo et stagnationum, lympha autem stagnans corrumpitur, alteratur assimilatio in glandulis lymphaticis et mesentericis, et ob defectum convenientis assimilationis lympha crudam, et hoc modo acrem retinet qualitatem, facta suppositione omne quod crudum est irritare, ac proin acrimoniae nomine venire posse. Modo ante dicto fit ut lympha illam aquirat qualitatem, quam nomine acrimoniae scrophulosae compellare placuit, et quae causa proxima morbi scrophulosi esse, dicitur.

Adiungere volo adhuc ideas aliorum auctorum circa causam proximam morbi scrophulosi, sic quidam vetustiorum pathologorum dixere copiam excessivam, alii corruptionem chyli, alii denique nimis tenacem consistentiam humorum esse causam proximam morbi scrophulosi, Hecker tandem existimat causam proximam morbi scrophulosi esse varietatem quamdam virus syphilitici. A. G. Richter existimat causam proximam scrophularum fundatam esse in aberrante vegetatione systhematis lymphatici et glandularum, quae ansam praebet formationi lymphae ineptae mixtionis: acrimoniae scrophulosae.

Clarissimus Dnus P. Bischoff dicit: causam fundamentalem scrophularum sitam esse in morbosa functione organornm nutritioni prospicientium, praecipue in inertia systhematis lymphatici, cuius vasa et glandulae intumescunt et indurantur. Hoc modo nanciscitur lympha specificam natura sua nec dum cognitam mixtionem, ope cuius dyscrasia scrophulosa gignitur.

Eaedem sunt circitur ideae et aliorum recentiorum pathologorum in terminis solummodo differentium prouti uni aut alteri systhemati pathologico adhaerent.

Caput IV.

De actione acrimoniae scrophulosae in corpus humanum.

Acrimonia scrophulosa irritat non tantum systhema lymphaticum et glnadularum, sed et ner-

vorum systhema ad alacriorem concitat actionem, uti id demonstrat praematura evolutio facultatum psychicarum in scrophulosis, intenditur acrimonia hac etiam circulatio sanquinis, uti id patet ex motibus febrilibus in scrophulosis saepius obvenientibus, praeprimis irritantur organa secretoria uti hepar, pulmones, ect, quae ob irritationem talem in statum inflammatorium chronicum saepe per annos durantem perducuntur. Acrimonia haec saepe causticum aquirit characterem.

Acrimonia scrophulosa communicat lymphae nisum in coagulam, patet id ex conditione lymphae, quae in scrophulosis saepe extravasatum caseosum in tela cellulari sistit, sic etiam in struma scrophulosa, in infarctibus glandularum mesenterii, et pulmonum, post mortem saepe lympha spississima invenitur.

Lympha, acrimonia scrophulosa privatur nutriente sua qualitate, et decomponitur, evolvuntur in ea principia acida, sicuti colluvies acida primarum viarum favet genesi morbi scrophulosi, eodem modo ad morbi scrophulosi evoluti effectus pertinet generatio acidi in primis viis, praesentiam acidi huius demonstrant alvi excretiones griseae, vel virides, odor acidus ex ore scrophulosorum, pyrosis, sudores acidum redolentes odorem, et bilis tenuis. Acidum hoc in lympha generari valet, vel decompositone partium constituentiam lymphae, quatenus e coniunctione sua liberatur acidum phosphoricum, vel per impeditam assimilationem et animalisationem lymphae, quatenus acidum nutrimentorum non satis subigitur.

In summo tandem corruptionis gradu acrimoniae huius, evolvi videtur character putridus, diarrhoeae et sudores colliquativi, symptomata scorbuti, imo ipsa febris putrida, haemorrhagiae putridae, ulcera foeda, et gangraenosa scrophulas saepe ad funestissimum finem perducentia, id sufficienter testantur.

Plures tandem auctores per acrimoniam hanc evolutionem contagii scrophulosi, a multis oppugnati, admittunt, contagium hoc in tinea capitis scrophulosa evolvi videtur.

Caput V.

Therapia.

In tractatione morbi scrophulosi sequentes circiter statui possunt indicationes:

I. Cum in primis viis semper fere adsit colluvies acida, aut mucosa, haec ergo prae caeteris amovenda erit. Indicatio haec semper primo adinplenda erit, sive colluvies haec causa aut effectus morbi sit, secus enim incassum adhiberentur alia medicamenta, etiam in decursu curae saepe locum habebit indicatio haec, quamprimum nova eiusmodi colluviei generatio observatur.

II. Regulanda erit abnormis actio systhematis lymphatici, et moderanda morbosa eiusdem irritabilitas, hinc solvendae erunt stagnationes in ambitu vasorum lymphaticorum et glandularum, intendendum erit opus resorbtionis, se-et excretiones erunt rite dirigendae. Huic indicationi satisfit remediis quae

specifice in systhema lymphaticum agunt, irritabilitatem morbosam, systhematis huius a scrophulis productam componunt, spasmos solvunt, se- et excretiones promovent, uti sunt: antimonialia, mercurialia, cicuta, Dulcamara, Belladonna, Opium et balnea tepida.

III. Roborandum erit opus digestionis, chilificationis et sanquificationis, verbo opus nutritionis ad normalem typum perducendum erit, ut hoc modo tonus et firmitas fibrae imprimatur. Ad scopum hunc non solum medicamenta roborantia, uti China, martialia, remedia adstringentia, amara, et amaro aromatica, sed quam plurimum nutrimenta probae qualitatis, aër saluber et purus, nec non summa mundities, conferunt.

IV. Amovenda erunt symptomata periculosa, et denique.

V. Causae excitantes innoxiae reddendae et in quartum possibile ammovendae.

Hae sunt indicationes quae in therapia morbi scrophulosi adimplendae erunt, ipsum tractamen subdividitur in diaeteticum et pharmaceuticum, sicque de utroque distincte loquar.

A. Tractamine diaetetico iam una ex principalibus indicationibus adimpletur, ammoventur videlicet causae excitantes et innoxiae redduntur, porro quanti sit momenti diaeta apta in scrophulis iam inde patet, quod saepe saepius sola diaeta morbus hic sanetur, et nunquam sanabitur pharmacis absque diaeta congrua, dein nullum medicamentum diaeta conveniente aptius suffulcit opus nutritionis, sic ergo iusto tractamine diaetetico satisfit et aliae

indicationi, sublevatur nimirum opus nutritionis. Summi tandem est momenti regulatio diaetae quoad prophylaxim scrophularum.

Ad curam diaeteticam pertinent primo nutrimenta facile digestibilia, et nequaquam genesi acidi faventia, aut nimium nutrientia, optime convenit recta copulatio victus vegetabilis et animalis, e. g. olera viridia cum iusculis ex carne, caro magna digestu facilis rosta cum radicibus plantarum parcam amylli quantitatem continentibus, etc.

Aër siccus et purus scrophulosis summe est necessarius, ideo requiritur ut scrophulosi ruri, et inquantum anni tempus et tempestas permittunt in aëre libero degant. Hoc respectu solertissimam inspectionem requirunt domicilia cubiliaet dormitoria infantum in altioribus sint contignationibus domuum, et aëre atmospherico liberum accessum permittant, nequaquam sint hominibus nimium repleta, saepius de die apperiantur fenestrae eorum, et omnia ammoveantur quae exhalationem noxia causare valent.

Motus corporis rite regulandus. Hinc ad vincendam inertiam scrophulosis propriam, omnimode excitandi erunt ad motus corporis, uti lusum cursum et alia exercitia gymnastica, exercitia haec in quantum possibile peragantur in aëre atmospherico libero, uti in campis.

Trictiones cutis, his enim intenditur circulatio in vasis capillaribus cutis, intenditur circulatio lymphae opus resorbtionis et transspirationis, hoc modo solvuntur stagnationes, promoventur se — et excretiones, musculi et nervi tonum nanciscuntur, multum praeterea conferumt frictiones ad

munditiem cutis. Frictiones hae optime fiunt panno laneo, in debilibus aegrotis vaporibus balsamicis impraegnato.

Summa mundities. Quotidie lavetur corpus aegroti aqua frigida, et post lotionem frigetur, semel aut his omni septimana summat balneum tepidum, lintea adminus omni secundo aut tertio die permutentur. Summa observetur muntities in lectisterniis, removeantur omnia lectisternia plummas continentia, in quibus saepissime plures iam dormivere generationes, et sic veros nidos diversae animalis corruptionis sistunt.

Balnea tepida. Haec enim non solum ad munditiem cutis quam plurimum conferunt, sed etiam stagnationes potentissime solvunt, intendendo opus resorbtionis, se — et excretionum, circulationis sanquinis et lymphae, et spasmos solvendo, sistunt praeterea balnea vehiculum diversa medicamenta ope resorbtionis cutis immediate systnemati lymphatico communicandi.

B. Tractamen pharmaceuticum.

Non dari remedium specificum contra scrophulas, compertum est, qua propter semper anceps erit tractamen earum, et medicus patientia munitus sit oportet, ne nimis cito deserat medicamentum quoddam, cuius salutares effectus non apparet spatio aliquot dierum; sed ex opposito non inhaereat idea praefixa remedio cuidam pertinaciter, remedia enim etsi indicata diuturne applicata perdunt efficaciam suam, ideo dosis remediorum longius applicatorum semper paululum augenda erit, et ipsa remedia saepius mutanda. Si non premunt

symptomata periculosa curam scrophularum optime instituet medicus tempore vernali, tam ob turgorem in systhemate lymphatico hoc tempore ad auctum, tam ob succos expressos plantarum, qui vere quam facillime et optime habentur, et praestans contra scrophulas remedium sistunt. Sic si conceditur respectum habeat medicus aetatis aegro scrophulae enim in diversis corporis humani evolutionis periodis, varias subeunt mutationes, et sic certa aetate facilius, alia difficilius sanantur, in genere facilius sanantur appropingvante pubertate.

Complicationes etiam scrophularum in tractatione earum sollicite sunt distinguendae, complicationibus saepe scrophulae pertinaces fiunt, quibus toltis morbus ipse saepe suffertur. Disparentibus symptomatibus localibus morbum ipsum disparuisse, neminem crediturum fore intelligitur, saepe enim evanitioni symptomatum morbosorum externorum, subsequuntur in scrophulis metastases gravissimae ad partes internas, ideo cautissima semper sit cura topica scrophularum. Porro non obliviscatur medicus scrophulas originarie esse morbum systhematis lymphatici, hinc quantum possibile medicamenta semper in hoc systema directa sint, rationem denique semper habeat constitutionis individualis aegroti.

Ex ingenti cohorte medicamentorum quae contra scrophulas omni aevo applicabantur, hic magis usitata solummodo enumerabuntur.

I. Remedia evacuantia, et quidem:

a) Emetica. Haec inter remedia principalia in initio tractaminis scrophularum creberrime locum

habent, bene adhibentur etiam in decursu curae, non tantum ad sordes e viis primis evehendas, sed etiam ad intendendam actionem et circulationem in systhemate lymphatico, et ad resorbtionem ad — augendam.

b) Purgantia. Ex serie horum optime adhibentur purgantia callefacientia, et drastica, uti Rheum, Jalappa, Aloë, et Gratiola officialis. Minus bene imo saepe male conducunt purgantia antiphlogistica, quamvis praesente phlogosi haec illis etiam praeferenda erunt. — Purgantia etiam tam ad sordes evehendas, quam ad resorbtionem incitandam adhibentur.

II. Antimonialia. Remedia haec potentissime stagnationes solvunt, se — et excretiones promovent, et morbose peccantes corrigunt, resorbtionis opus quam maxime intendunt, acrimoniam in lympha emendant, et sic in scrophulis tonicis quam optime praemittuntur, quum excepta roboratione quam plurimas indicationes adimpleant. Prae caeteris indicata sunt antimonialia quando scrophulae in cute florent, nunquam tamen praesentibus symptomatibus colliquationis, aut gastricis. Antimonium crudum cum mitissime agat, ideo etiam saepius quam alia stibii praeparata correspondebit.

III. Mercurialia ad antiquissima contra scrophulas usitata remedia pertinent, et specifice in systhema lymphaticum et glandularum agunt, opus resorbtionis potentissime excitent, stagnationes hoc modo solvant, se — et excretiones promoveant, et corrigant, hinc ad validissima remedia contra scrophulas referuntur. Actio eorum contra scrophulas

quodammodo par est actioni antimonialium, melius tamen adhibentur mercurialia quando scrophulae in internis et quidem in ambitu membranarum mucosarum, antimonialia vero si externe florent. Experientia docet salivationem post usum mercurii, in scrophulis sollicite esse evitandam. Oxydulum Hydrargyri muriaticum contra scrophulas prae caeteris mercurii praeparatis adhibetur, et quidem non solum scopo alterante et solvente, sed frequentissime scopo evacuante cum drastico quodam purgante iunctum. Adhibentur praeterea Aethiops mineralis et antimonialis, mercurius gummosus et pulvis Plumeri.

IV. Terra ponderosa salita intensissime agit in organa digestionis et in systema lymphaticum et glandularum, intendit potentissime opus resorbtionis in vasis lymphaticis et capillaribus, hinc infarctus tenaces et viscidos egregie solvere dicitur, infensum est praeterea remedium hoc vermibus; praecipue laudatur efficacia terrae ponderosae muriaticae si adsit status gliscens inflammatorius in systhemate lymphatico, et ubi diuturnus usus mercurialium et antimonialium ob labefactatam vim ventriculi non conceditur, in casu simili plures auctorum Barytam muriaticam magnis extollunt laudibus, semper tamen iuncta sit remediis tonicis, ex adverso complures celebratissimorum medicorum affirmant, se remedii huius paucos aut plane nullos effectus salutares contra scrophulas observasse. Caeterum medicus medicamentum hoc in usum trahens, ob virtutes eius venenatas semper cautus sit, oportet.

V. Calx muriata analogas cum remedio praecedenti hacet virtutes, attamen fortiori adhuc agit stimulo, hinc maiori adhuc cautela opus habet.

VI. Praeparata Chinae, ut principes roborantium in scrophulis quoque si praeprimis debilitate et attonia insigniuntur, habent locum, praemissis semper remediis evacuantibus et solventibus, et habito debito respectu virium digerentium. Ad eundem ordinem referuntur.

VII. Praeparata ferri, quae magis china in sanquificationis opus influunt, et magis tonum adaugent, augendo cruorem sanquinis potentissime concitant systhema arteriosum, ideo cavendum ab eis in scrophula sic dicta florida, aut praesentibus congestionibus, et stagnationibus, quae non laxitate sustinentur, non applicentur in individuis ad phthisim aut haemorrhagias dispositis, bene conveniunt martialia et china individuis torpidis, ad statum putridum, aut colliquativum pronis, semper tamen vires digerentes validas supponendo. Optimum hoc scopo praeparatum sistit limatura ferri alcoholisata, et scopo magis solvendo roborante valent: Flores salis ammoniaci martiales. Optime etiam contra scrophulas adhibentur sosterae martiales.

VIII. Remedia narcotica uti: Opium, Hyoscyamus, Cicuta, Belladonna, Dulcamara etc., praecipue valent si sensibilitas nimium adaucta compescenda est, et ideo usus eorum in scrophulis magis symptomatieus est, magis extensum his omnibus admittit usum Digitalis purpurea, cum haec specifice opus resorbtionis incitet, et sic facile stag-

nationes solvere queat, praecipue ubi adsunt exsudata serosa in sequelam scrophularum.

IX. Praepata iodica. Vix praeparata haec deseruere officinas chimicorum, et iam contra omnes fere morbos, sic ergo etiam contra scrophulas adhibita fuere, et quamvis fortissime agant in organa resorbtionis et vasa lymphatica, attamen ob symptomata periculosa quae internus eorum usus saepissime excepit, maiori ex parte nunc topice solummodo ad residua scrophularum delenda, praecipue contra indurationes glandularum adhibentur.

X. Succi plantarum recenter pressi ob virtutem suam leniter solventem, et excitantem, se—et excretiones promoventem optime suffulciunt curam scrophularum probe usitatur hoc scopo succus Marrubii albi, Lactucaesàtivae, Fumariae, Saponariae, Cichorei, Chaerofolii, Beccabungae etc.

XI. Remedia resorbentia uti Magnesia carbonica, pulvis lapidum cancrorum, ostrearum, bene adhibentur ad resorbendum acidum, et acrimoniam scrophulosam primis viis contentam. Magnesia hoc scopo bene copulatur mercurio dulci et purgante quodam drastico.

XII. Alcalia fixa et volatilia, cum mucum in primis viis potenter solvant, systhematis lymphatici actionem elacriorem reddant, resorbtionem, se—et excretiones promoveant, acidum primarum viarum decomponant, lympham ipsam corrigant, bene scrophulis opponuntur, praeprimis praesente torpore systematis uropoëthici. Inter praeparata alcalium praecipue sapo medicinalis obmitem virutem suam solventem commendari potest; magnis

praeterea celebratur encomiis aqua calcis in scrophulis ossium, uti in carie et spina ventosa scrophulosa, laudatur praeterea aqua calcis in indurationibus glandularum mesenterii longingvis, phthisi tuberculosa, et praesente acido primarum viarum.

XIII. Remedia amara, amaro — aromatica, et adstringentia. Praemissa methodo evacuante, remedia haec bene copulantur solventibus, aut solutis stagnationibus remedia haec finem curae antiscrophulosae creberrime sistunt.

XIV. Egregia adhuc contra scrophulas medicamina sistunt balnea mineralia, clysmata visceralia vesicantia, fonticuli, nec non unquenta, linimenta, emplastra, ect. ex remediis supra nominatis parata.



THESES.

1. Pharmacis absque diaeta congrua haud sanari queunt shrophulae.
2. Arteriarum subcutanearum in epydermide patentia oscula verum perspirationis et sudoris organon sistunt.
3. Vires medicamentorum nequaquam absolutae.
4. Medicamenta quae faeminis sterilitatem aut viris impotentiam conciliare apta, in rerum natura non existunt.
5. Usum Hydrargyri in syphilide semper methodicum esse oportet.
6. Contagiorum genesis et propagatio, optime aequiparari potest genesi et propagationi fermentorum.
7. In ordinanda vaenesectione medicus non temere, sed nec timide procedat.
8. Febris medelam naturalem morborum sistit saluberrimam.
9. Non dantur inflammationes venosae.
10. Absque calore nulla vita.
11. Necrosis et caries non saltem forma, sed et natura sua differunt.
12. Sublato producto morboso, non suffertur morbus.
13. Indubitatas virginitatis notas dari, nego.